

enim deputatio pendet ex prudenti arbitrio Prælatorum, qui accurate invigilare debent in ejus designatione, ne pro bono semine zizaniam seminet in agro Domini. Verum tamen, si postulatus ab illis polleat qualitatibus necessariis supra recensitis, optime faciant Prælati, acquiescendo monialium voluntati.

280. Inq. 3. Quibus diebus, & ad quantum tempus debeant Prælati deputare dictum Confessarium monialibus? R. Hoc esse voluntati Prælatorum relinquendum, ut juxta circumstantias id prudenter disponant. Ante dictas constitutiones pontificias dabantur in nostra religione, non unus, sed duo saltem Confessarii extraordinarii ordinis ter in anno; nempe triplici Paschate Natalis Domini, Resurrectionis, ac Pentecostes, quod nunc etiam observatur. Confessor autem extra ordinem ab expeditione Bullæ Apostolici ministerii datur semel in anno monialibus, quando ipsis, & Superioribus expedire videtur. Tempus autem non limitatur dicto Confessario, sed conceditur, usque dum ipse moniales ab eo digrediantur. Si aliqua ob infirmitatem nequeat accedere ad extraordinarium, concedendus est illi, postquam convalescit. Satis est, quod Superiores in hac materia liberales se exhibeant, quam parcos.

281. Inq. 4. Qua facultate ad absolvendum debeat accedere præfatus Confessarius ad monialium confessiones audiendas? R. Quod debet accedere cum omni illa facultate, qua polleat earum Superior, qui illum designat; ad hoc enim designatur, nimirum, ut moniales libere ei declarent omnes animæ sinus, omniaque peccata, etiam, si quæ sint Superiori, reservata. Non tenetur aliqua monialis confiteri dicto Confessario. Tenentur tamen omnes se sistere coram illo, ne ex eo, quod quædam compareant, & non aliæ, suspiciones, & obloquiones excitentur. Prudenter cautum est non eas astringere ad confessionem; sunt enim plures, quæ vix confiteri sciunt, vel audent, nisi proprio Confessario. Ego tamen semper consului, non solum omnes illi comparere, sed confiteri; quia licet non teneantur ex obedientia, obstringuntur tamen ex quadam decencia, non relinquendi jejunum a confessionibus virum gravem ad confessiones vo-

catum, seu invitatum. Qua ratione semper operam dedi, ut saltem aliqua illi confiterentur. Ipse Confessarius, semel quod munus acceptavit, teneat sub gravi omnium confessiones, ipsis nullo peccatis, audire. Constat ex supradicto decreto Concilii, & ex laudata Bulla *Paschalis curæ*.

## PUNCTUM XIV.

## Alia dubia de eadem materia.

282. Inq. 1. An non solum communitati, sed etiam cuicumque moniali deponenti Confessarium extraordinarium concedendus sit? R. affirm. Constat ex proxima citata Bulla, quod in quatuor casibus præsertim decernitur, nempe in articulo mortis; in gravi infirmitate; quando aliqua summopere reluctatur confiteri ordinario, & denique quando monialis pro quiete suæ conscientie extraordinarium deposcit. In his casibus concedendus est Confessarius, postulatus rationabiliter, & si non fuerit approbatus, curandum est, ut ab Ordinario approbetur, saltem pro illa confessione, aut pro tot vicibus, quot expediens judicetur. Nam omnia hæc agenda sunt prudenti economia, non ad merum placitum, seu nutum monialium, quarum imbecillitati, non semper, sed aliquando benigne concedere oportet.

283. Inq. 3. An cesset munus Confessarii ordinarii tempore, quo extraordinarius suo fungitur officio? R. Cessare, dum extraordinarius vocatur pro communitate. Constat ex eadem Bulla: non vero dum vocatur pro aliqua particulari; alias ob hujus imbecillitatem cætera privarentur proprio solatio. Verum licet ordinarius peccaret graviter excipiendo alicujus monialis confessionem tempore, quo extraordinarius pro communitate est vocatus; confessio tamen poterit esse valida, si cum cæteris requisitis adsit bona fides ex parte penitentis: nam esto prohibeatur sub pœnis arbitrio respectivi Ordinarii infligendis, non vero annullatur.

284. Inq. quid decernatur circa Confessorem extraordinarium suo munere expleto? Resp. prohiberi accedere, alloqui, sed quodvis commertium, siye voce, si ve

scrip-

scripto habere quocumque pretextu sub pœnis statutis adversus accedentes ad monasteria monialium, vel cum eisdem alloquētes. Hæc autem pœnæ sunt privatio officiorum, vocisquæ activæ, & passivæ ipso facto incurrenda. Assignatæ fuerunt præsertim contra regulares; at in præsentibus incurrunt etiam a Confessario seculari, quia præcitata Bulla indifferenter loquitur. Antea contra Sacerdotes seculares alloquētes sine licentia monialibus imposita erat pœna ferenda suspensionis ab officio ecclesiastico, id est ab usu ordinis & jurisdictionis. Ex cap. *Monasteria de vita, & honest. cler.* Sed licet hæc ita sint, cum dicta prohibitio fundetur in lege communi, quam supponit Bulla: *Paschalis curæ*: non habet locum in Hispania, ubi non est in usu illa lex prohibitiva allocutionis monialium. Vid. Benedicti XIV. *syn. lib. 13. cap. 12. num. 23. Vid. tract. 38. n. 69.*

285. Inq. 4. An expediat indulgere monialibus libertatem eligendi sibi Confessarios ordinarios, vel potius designare eis unicum tantum? R. Præscindendo a juribus, & legibus peculiaribus, ex se neutrum expedire, sed designare illis saltem duos ordinarios; ac deinde quandoque alios extraordinarios. Ita observatur in nostro ordine in Hispania; & ratio, ac experientia demonstrant ita fieri convenire. Quoniam ex designatione unici tantum Confessarii ordinarii gravia incommoda in laudatis Bullis indicata oriri possunt ex imbecillitate, pudore, ac debilitate mulierum. Ex libertate eos eligendi ad libitum profluunt alia præjudicia non parva, quibus expertus N. S. Mater Theresia tanquam virgo sapiens mutavit consilium, & primam suam sententiam libertatis præterse, ut videre est in suis epistolis, præcipue in his, quæ reperuntur in tribus tomis ultimis, quarum commentaria nos edidimus. Igitur, inspecta materia secundum se, magis expedire videtur, nec coarctare moniales ad unicum ordinarium, nec indulgere illis libertatem pro libito eligendi, sed designare eis saltem duos ordinarios cum supradictis qualitatibus, & aliquoties, pro majori solatio, aliquos extraordinarios, eisdem qualitatibus ornatos, eis concedere.

286. Inq. 5. An Confessario monialium

ordinario assignari debeat aliquod stipendium pro ejus congrua sustentatione? Respondet Barbosa cum aliis in *collectan. in cap. 10. Concil. sess. 25. de regularibus n. 14.* dicens: *Confessario monialium certa annua merces constitui debet, quæ juxta morem, & qualitatem regionis viciu illius sufficiat: ea denique merces monasterio, in quo degit idem Confessarius, si regularis sit, persolvatur.* Hæc resolutio conformis est juri naturali, quo dignus est operarius mercede sua. Tamen in nostra religione, ubi sunt conventus utriusque sexus, fratres gratis serviunt sororibus, quia sic decernunt constitutiones nostræ utriusque congregationis.

## PUNCTUM XV.

## De aliis requisitis in ministro penitentiae.

287. Inq. 1. Quæ aliæ qualitates requirantur in penitentiae ministro? R. Quod præter ordinem, jurisdictionem, & approbationem, quæ requiruntur necessitate sacramenti, seu ad validum; requiruntur etiam necessitate præcepti, seu ad licitum, scientia, prudentia, bonitas, & sigillum. Si autem inquiras, quot sint officia Confessarii? R. Tria esse, nempe Judicis, magistri, & medici. Ut Judex juxta merita absolvit, vel ligat; ut magister viam veritatis doceat, instruendo penitentes circa mysteria fidei; & reliqua ad salutem animæ spectantia; ut medicus applicet congruentes medicinas. Igitur requiritur in eo scientia, tamen ad docendum, tum ad medendum, & etiam ad discernendum inter dignos, & indignos; & hæc appellatur *clavis scientiæ*, ut supra diximus.

288. Inq. 2. Quotuplex sit scientia requisita in Confessario? R. Quod est triplex, juxta triplex munus quod exerceat. Debet habere ut Doctor scientiam juris, ut discernat inter lepram, & lepram, hoc est, species, numerum, & circumstantias peccatorum. Præterea scire debet ea, quæ ad sacramenta valide, & rite ministranda requiruntur. Item opinionēs probabiles, probabiliōres, & damñatas, & materias morales, saltem communiōres; ita ut ad minus sciat dubitare, ad consulendum liberos, & viros doctos. Ut medicus debet ha-



*Tract. XXVII. De sacramento penitentiae*  
 habere scientiam medicinalem, ut valeat curare animas a vulneribus præteritis, & præservare a futuris, imponendo penitentias medicinales peccatis, & peccatoribus congruas, inspicendo radicem, & originem vulnerum, ad opportuna adhibenda remedia. Ut iudex requiritur in Confessario scientia judicialis, & discretiva, ad proferendam sententiam; ad caute examinandum, & interrogandum penitentes, ne intempestiva correctione eos terreat a principio, & deinceps obmutescant; quando differenda, aut neganda sit absolutio; ac denique scire debet ea omnia necessaria ad tria prædicta munia rite obeunda. Ideo semper Confessarius studio vacare debet, ut sicut in dies augentur animæ morbi, ita in ead. ad eisdem curandos augeatur scientia.

289. Inq. 3. In quo consistat prudentia Confessarii? R. Consistere in eo, quod caute interroget, suaviter audiat, patienter se gerat, & moderata severitate in fine reprehendat; se adaptando unius cuiusque statui, conditioni, & capacitati, omnibus omnia se faciendo, ut omnes Deo iudicentur. Est enim hæc ars artium, & vix omnes artes ei sufficiunt. Ad prudentiam Confessarii etiam spectat metiri qualitatem, & quantitatem penitentiae injungendæ, juxta dicta de satisfactione sacramentali.

290. Inq. 4. In quo consistat Confessarii bonitas? R. Consistere in eo, quod sit in statu gratiæ. Alias tot sacrilegia committit, quot absolutiones impendit. Imo si ex professo in statu lethali audiat confessionem, esto non absolvat, vix liberabitur a gravi crimine ob periculum, cui se exponit absolvens in peccato mortali. At in casu valde urgenti repente moribundi, seu cadentis v. g. ex turri, si Confessarius nequiret se præparare per actum contritionis ex defectu temporis, non video cur absolvens sit reus sacrilegii, quia Deus impossibilia non jubet, & casus fortuiti sunt extra humanam cognitionem. Vid. *Tract. 22. n. 39.*

PUNCTUM XVI.  
*De conferenda, vel deneganda absolutione.*

291. Inq. 1. Quibus debeat Confessarius dare, vel negare absolutionem? R.

Hoc ut plurimum pendere ex Confessarii iudicio discretivo, quo debet ligare indignos, aut solvere dignos juxta uniuscujusque meritum. Unde tenetur ex justitia dare absolutionem vere dispositis, atque eam negare indispositis. Nam constitutus iudex in tribunali confessionis obstringitur ex vi muneris tribuere unicuique, quod meretur. Aliquando vero, esto penitens hic, & nunc sit dispositus, poterit absolutionem ei differre pro ejus majori bono spirituali, ac meliori dispositione, nisi circumstantiæ aliud deprecant, quod prudentia Confessarii metiendum est.

292. Inq. 2. Quibus regulariter neganda, vel differenda sit absolutio? R. 1. Accedentibus nullo præmissis examine conscientiæ. 2. Non habentibus verum dolorem supernaturalem de peccatis, aut firmum propositum ulterius non peccandi. 3. Ignorantibus mysteria fidei necessaria necessitate mediæ, & negligentibus adsciscere ea, quæ sunt necessaria necessitate præcepti. 4. Nolentibus restituere, dum valent. 5. Reluctantibus acceptare penitentiam congruam, aut obedire Confessario in remediis præscriptis. 6. Ligatis excommunicatione, aut casibus reservatis, ad quos nec Confessarius habet jurisdictionem, nec penitens privilegium. 7. Artes illicitas exercentibus, vel licitas illicitè. 8. Feminis nudis pectoribus inhoneste gradientibus. 9. Voluntarie existentibus in occasione proxima, consuetudinariis, aut recidivis, in quibus non relucet spes emendationis. His omnibus deneganda est absolutio, utpote ea indignis, & ad eam indispositis.

293. Inq. 3. Quid & quotuplex sit occasio peccandi? R. Quod occasio in communi est periculum peccandi ab extrinseco ortum. Alia est remota, alia proxima. Remota est illa, quæ satis explicatur data definitione. De hac non est sermo, nec tenemur ab ea recedere; alias deberemus de mundo exire. Igitur occasio proxima est periculum proximum frequenter labendi in peccata, ortum ab aliqua circumstantia determinata extrinseca. Per ultimas particulas differt a consuetudine; hæc enim non requirit circumstantiam extrinsecam, sed secum haberi potest, ut consuetudo se poluendi. Illa vero pendet ab aliquo extrinseco, quo sublato, deficit. Ut

si transitus per aliquam viam publicam sit occasio proxima juveni, ob puellam ibi habitantem, mutata ejus habitatione, deficit occasio transitus, vel ille transitus jam non est ei occasio proxima, & sic de cæteris. Per ly determinata differt occasio proxima a remota, & reincidentia; hæc enim adsunt absque determinata circumstantia.

294. Item occasio proxima alia est voluntaria, alia involuntaria. Voluntaria est, in qua quis existit pro suo velle: ut herus, qui libere apud se, vel alibi ad suum nutum habet foeminam, cum qua frequenter peccat. Involuntaria est, in qua quis quasi coactus existit. Vel quæ deseri nequit absque gravi damno. Ut filius familias, qui nequit procul a domo paterna exire, nec ejicere famulam, quæ sibi est occasio frequenter peccandi. In hujusmodi occasione versantur mercatores, milites, caupones, & cæteri, quibus est occasio proxima peccandi officium, quod deserere absque gravi impendio nequeunt. Quidam ajunt oportere distinguere inter occasionem proximam, & periculum proximum; quia illam fortasse non potest quis dimittere, & hoc debet fugere, ut patet in filio familias. Hæc tamen distinctio quoad præsens extra rem est, cum idem sit occasio proxima, ac periculum proximum, & neutrum potest filius familias v. g. deserere, esto utrumque teneatur fugere. Hoc est, debet utrumque repellere a voluntate, licet neutrum possit repellere a loco. Igitur in tantum est quis in periculo proximo, in quantum est in occasione proxima, & e contra. Neque foemina ut sic est occasio proxima, sed in tali, vel cum tali circumstantia, qua seclusa, occasio alias proxima redditur velut remota, & idem est de periculo. Unde quoad præsens nulla est distinctio; esto alias possit dari periculum proximum absque occasione proxima, de qua in præsentem. Semper tamen verificatur, quod tale est periculum, qualis est occasio. Si enim hæc ex aliqua ratione desinit esse periculosa, desinit esse proxima, saltem moraliter.

295. Inq. 4. An possit aliquando absolvi in occasione proxima voluntaria existens? R. neg. Constat ex proposito. 61. damnata ab innoc. XI. Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi

versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimo directe, & ex proposito querit, aut ei se ingerit. Constat etiam ratione, quia existens in occasione proxima voluntaria vult periculum proximum peccati, & consequenter ipsum peccatum. In duplici casu ajunt aliqui posse absolvi existentem in dicta occasione. Primo, quando ignorabat obligationem illam ejiciendi. Secundo, quando accedit dolore extraordinario, & copiosis lachrymis affirmans illico post regressum ad domum illam ejectionem. Sed minime sunt admittendi hi, aut similes casus, quia existens in occasione proxima voluntaria, nec pro prima vice est absolvendus. Neque admittitur ignorantia dictæ obligationis. Quis enim ignorat debitum recedendi a malo, seu a peccato? Si vero sequatur infamia, aut aliud damnum, id non provenit ex denegatione absolutionis, sed ex retentione occasionis. Unde sibi imputet. Solum in articulo mortis, si tempus urgeat, poterit absolvi, quia prius expellat occasionem; si enim moram tempus permittat, absque mora ante absolutionem occasio est ejicienda. Idem est de concubinario, de quo, de filio familias, & aliis quomodo sint absolvendi, vel non, diximus *tract. 17. a n. 40.*

296. Nota 1. Quod ad absolvendos filios familias, exercentes artes illicitas, & alios, qui versantur in occasione proxima involuntaria peccandi, debet adesse verum, & reale spendium notabile, aut vera nota infamiæ; pluries quippe fingitur ad non ejiciendam occasionem. Tunc autem fingitur dolor de peccatis; unde absolutio, si conferatur, nulla est. Nota 2. Quod prædictis debent assignari penitentiae medicinales, ut jejunia, oratio, lectio spiritualis, aliqua actio poenalis pro casu relapsus, frequentia confessionis, ne alloquatur solus cum sola, & similia. Dicat illis Confessarius, quod si sunt dispositi coram Deo, faciant de communione, quod ipsis bene visum fuerit; at ipse nequit aliter se gerere, quia juxta regulas sanæ theologiæ non sunt dispositi coram Confessario, ut ipsis absolutio pro tunc impertiatur.

297. Nota 3. Aliquos prævidentes absolutionem non aliter consecuturos, spiritualibus exercitiis in aliquo monasterio



vacare per aliquot dies student, retenta domi occasione. His etiam constanter neganda est absolutio, quin prius repellant occasionem. Ita ego non semel feci, & non me poenitet. Vix unum poenitet Confessarium de absolutionibus denegatis; de concessis vero plurimos. Cave ergo, ne te etiam cum illis poeniteat.

298. Inq. 5. Quot sint status poenitentis in ordine ad absolutionem? Resp. esse duplicem; nempe dispositi, & indispositi: illi concedenda est absolutio, nisi aliquando pro ejus majori bono differenda expediens judicetur. Isti semper est deneganda, quia absolvere indispositum nunquam licet. Item status poenitentis indispositi est quadruplex. Nempe occasionati voluntarii; occasionati involuntarii, consuetudinarii, & recidivi. Primus nunquam est absolvendus, nisi expulsa occasione. De tribus aliis caute est judicandum, ait S. Carolus in instruct. ad Confessarios: *blasfemi aliqui ex consuetudine peccatores non admittantur, quidquid dicant, se que licet emendaturos polliceantur, nisi aliquibus ante mensuris emendationis signa, Confessori nota juxta ordinem ab ipso praescriptum dederint.* Tamen, si occasio involuntaria, consuetudo, vel reincidentia non sunt inveteratae, sed recentiter adquisitae, pro prima vice absolvi possunt, spiritualibus remediis, ut supra, applicatis, dummodo longo tempore ante confessionem a peccatis se abstinerint. At si praedictae infirmitates radicate judicantur, nullaque remedia a poenitentibus adhibita, nec pro prima vice absolvantur, praesertim tempore quadragesimae, sed medicinalibus, ut supra, applicatis, absolutio differatur, usque dum media apponant & signa practica veri propositi Confessarius experiatur. Vid. Bened. XIV. *syn. lib. 11. cap. 2. n. 18.* Recidiva solum differt a consuetudinario, quod hic in determinata materia ex habitu seu electione: ille autem sine materia determinata ex fragilitate; modo in una, modo in alia frequenter labitur. Unde licet non ex electione, ut occasionatus, aut consuetudinarius, sed ex fragilitate peccet: tamen si emendationem saltem aliquam non prodit, & veri doloris, ac firmi propositi signa non exhibet, indignus judicandus est beneficio absolutionis.

## PUNCTUM XVII.

## De obligatione Confessarii interrogandi, &amp; monendi poenitentes.

299. Inq. 1. Quale sit praerogium, seu praerambulum confessionis? R. Esse respectu rudium, quod Confessarius eos interroget. 1. De tempore anterioris confessionis, ut noscat, an praerogium annuale impleverit. 2. De impletione poenitentiae injunctae; & si nullam praecipue medicinalem implevit, poenitentem tanquam indispositum sine absolutione dimittat. 3. De examine conscientiae, ut juxta responsum inferat modum prudentem eum interrogandi. 4. De suo statu, ut colligat ejus peculiares obligationes, & species, aut circumstantias peccatorum. 5. An afferat verum dolorem, firmumque propositum ulterius non peccandi. Non autem sufficit ore id proferre, nisi vere adsit, ut constat ex propos. 60. damnata ab Innoc. XI.

300. Inq. 2. An Confessarius teneatur interrogare in confessione indiscriminatum omnes poenitentes? R. neg. Quia solum debet interrogare eos, quos noverit, quod nesciunt se accusare. Hos interroget patienter supplendo eorum inscitiam, & defectum in examine, coadjuvando eos, ut integre omnia fateantur. Non tamen sit nimis in interrogando, maxime in peccatis carnis, & cum foeminis. Sufficit interrogare de culpis regularibus cum numero, speciebus, & circumstantiis speciem mutantibus, & aliis scitu necessariis pro restitutione, aut satisfactione partis. De his enim debet interrogare poenitentes, esto inculpabiliter ea ignorent. Igitur non indiscriminatum, sed prudenter debet interrogare Confessarius poenitentes. Idem est circa doctrinam christianam. Si enim poenitens afferat schedulam examinis a Parocho habitam, vel judicatur evidenter peritus doctrinae sufficientis, potest abstinere ab ea interroganda. Caetera huc spectantia dicta sunt, & dicentur in aliis tractatibus.

301. Nota 1. Quod semper ac poenitens se accusat de aliquo peccato gravi, Interrogat eum Confessarius, an in aliis confessionibus simile peccatum attulerit. Haec interrogatio deservit pro agnitione

sta-

status poenitentis, & pro omnibus est valde necessaria; praecipue in peccatis carnis. Nota 2. Quod debet Confessarius interrogare praesertim tempore praerogium annualis poenitentes, de quibus id suspicari valet, an habeant aliquem librum prohibitum a sancto tribunali: sic enim ab eo praecipitur in Hispania Confessariis in Indice expurgatorio anni 1640. & 1707.

302. Inq. 3. Quomodo teneatur Confessarius poenitentem admonere? R. Quod absolute loquendo tenetur Confessarius admonere poenitentes de his omnibus, ad quae obligantur. Unde in primis debet admonere, si nesciat doctrinam Christianam, quo in casu poenitens docendus est ab ipso Confessario, si valeat; vel remittendus ut ab alio instruat. Pariter debet eos monere de censuris, aut poenis ecclesiasticis, si forte incurrerunt. Similiter ut denuntient delinquentes, ut haereticos, aut sollicitantes in confessione respectivis Superioribus. Etiam ut restituant honorem, famam, aut bona temporalia, & hoc sive proficiat monitio, sive non; sive ignorantia sit vincibilis, aut invincibilis: quia alias poenitens non est recte dispositus, neque potest absolvi. Item si Confessarius interrogatur debet palam aperire veritatem, sive interrogatio profuat ex dubio, sive ex scrupulo; alias silentium Confessoris esset quaedam approbatio ad continuationem in sua culpa. Confessarius Principis, gubernatoris, Praelati, & similibus, sciens ipsos non satisfacere suo muneri in collatione beneficiorum, in electione ministrorum, in regimine subditorum, in elemosinis ex superfluis faciendis, & aliis plurimis, in quibus omissione, vel commissione deficiunt, debet illos suaviter, & efficaciter monere: & si id non audent, deserant officium. Habeant in mente illud dictum Confessarii Caroli V. qui dixit ei: *confessus es peccata Caroli: confitere peccata Caesaris.*

303. Inq. 4. Quos defectus confessionis debeat supplere Confessarius? R. Quod triplex defectus potest accidere in confessione. *Primus*, quia poenitens non est confessus, aut Confessarius non interrogavit aliquod peccatum, aut circumstantiam. *Secundus*, quia Confessarius erravit circa restitutionem imponendam. *Tertius*, si erravit circa formam; vel in essentiali aliquo

Tom. II.

sacramenti. Igitur vel Confessarius se habuit negative, aut omissive, vel positive circa defectus. Si primum, solum tenetur monere poenitentem, quando commode potest; ut si iterum redeat, vel facile potest eum monere de peccatis, aut circumstantiis omissis, non ad perfectionem prioris sacramenti, hoc enim jam transiit, sed ad majorem praesentis integritatem. Si autem positive dixit non esse aliquid explicandum, quod revera exprimi debet, tenetur etiam cum aliquo damno proprio monere poenitentem, petita ad id prius licentia, ne prosequatur in eodem defectu, aut errore. An autem Confessarius in defectu poenitentis teneatur restituere, quando solum negative se habuit, distinguunt plures inter Parochum, & delegatum.

304. Verum distinctio haec locum habet ante confessionem; hac autem incepta aequo delegatus tenetur ex justitia docere poenitentem, ac Parochus. Ideo de utroque idem est dicendum; nempe quod si negative se habeat, non tenetur restituere, si autem positive, tenetur, ut dicemus tract. de restit. Circa monitionem est aliqua distinctio; quia Parochus ex vi officii debet monere suos clientes de omnibus, quae ad propriae animae salutem spectant praesertim a confessione. Unde etiam, illa finita, incumbit ei haec obligatio ex justitia; non autem delegato, ut ex se patet. Nec consequenter procedunt authores, dum distinctionem Parochi, & delegati ponunt in monitione restitutionis tantum; semper enim Parochus tenetur ex justitia instruere suas oves circa quamcumque obligationem.

305. Si defectus commissus est in aliquo essentiali, ut si Sacerdos non protulit integram formam absolutionis, vel carebat jurisdictione, aut facultate ad reservata, & hoc inculpate accidit, non tenetur cum gravi incommodo monere poenitentem, nisi esset in articulo mortis, quia tunc ob periculum damnationis poenitentis deberet monere, ut apponat verum dolorem, & Sacerdos proferat integram formam: ex defectu quippe jurisdictionis nequit absolutio in illo casu esse invalida. At extra articulum mortis, si ex culpa Sacerdotis aliquid essentialia defuit sacramento, debet cum aliquo incommodo, si potest absque scandalo, monere poenitentem, ut curet supplere defectum recipiendo aliud sacramentum.



tum. Si vero nequeat monere absque scandalo, vel dispendio valde notabili proprio, non tenetur; quia sic nec ipse poenitens teneretur.

306. Inq. 5. An Confessarius debeat se conformare cum opinione poenitentis? R. Vel opinio poenitentis est absolute minus probabilis, vel non. Si primum, non debet; imo non potest Confessarius se conformare cum illa; quia nec ipse poenitens potest licite operari cum ea. Si secundum, ita ut opinio poenitentis sit aequae probabilis, aut probabilior opinione Confessarii, potest hic, imo debet, maxime dum poenitens est vere doctus, se conformare cum illa deponendo propriam opinionem. Vid tract. 2. num. 87.

## PUNCTUM XVIII.

## De sigillo confessionis.

307. Inq. 1. Quid sit sigillum confessionis? R. Est debitum celandi confessionem. Vel, ut alii placet: obligatio tacendi quae audiuntur in confessione, vel per ordinem ad illam. Haec obligatio est juris naturalis, divini, & ecclesiastici. *Naturalis*, quia jus naturae obligat celare secretum, maxime rei, cujus detectio redundat in dedecus, & infamiam proximi. *Juris Divini*, quia in ipsa confessionis institutione iungitur obligatio eam celandi; alias non posset conservari: qua ratione dixit D. Thom. in praesenti sigillum esse de essentia sacramenti, non quidem de essentia absolute sumpta, sed quoad conservationem; deficiente quippe sigillo, usus confessionis odiosus, & intollerabilis redditus, poenitus cessaret. Unde obligat sub gravi in omni eventu, seclusa spontanea, ac expressa poenitentis licentia; nec admittit, nisi ex defectu advertentiae, parvitate materiae formaliter, licet materialiter possit adesse simul cum lethali etiam culpa venialis in ejus fractione; ut si quis revelaret mendacium leve a poenitente confessum. Differt igitur sigillum confessionis a secreto naturali in eo, quod hoc aliquando non obligat, & admittit parvitate materiae: illud vero semper obligat, & parvitate materiae non admittit.

308. Objectiones: Non minus est de jure divino integritas confessionis, quam hujus

sigillum; sed integritas confessionis non obligat in omni eventu: ergo nec sigillum. R. Utrumque esse de jure divino; diversa tamen obligatione orta ex gravissimis praedictis profluentibus ex violatione sigilli, quae non imminet Ecclesiae, ac bono communi ex defectu integritatis confessionis.

309. Inq. 2. Quotplex peccatum committat violator sigilli? R. Omissis aliorum placitis, saltem tria peccata specie distincta communiter perpetrare. Unum sacrilegii, & hoc semper est grave, nisi procedat ex imperfecta deliberatione; aliud injustitiae, seu detractationis; & tertium infidelitatis, violando onerosam secreti promissionem, quae in ipso actu confessionis adest inter poenitentem, & Confessarium. Aliquando potest esse unicum tantum peccatum, ut si crimen sit omnino publicum. Tunc enim fractio sigilli erit grave sacrilegium; non vero injustitia peccatum. Violatio sigilli potest esse directa, & indirecta. *Directa* est manifestare peccata, vel aliquid ad eorum confessionem pertinens. *Indirecta*, dicere, aut facere aliquid, ex quo detur motivum cognoscendi peccatum, vel suspicandi quidquam provenire de auditis in confessione, unde poenitenti, vel alteri sequatur aliquid gravamen. Si vel Confessarius ob audita in confessione se gerit aliter, ac gereret, si non audisset, ut in allocutionis severitate, vel non ei condescendens sicut antea.

310. Unde cavendum est summopere Praelatis, ne ad regimen subditorum utantur notitia in confessione habita de peccatis praeteritis, aut futuris, ut declaravit Clemens VIII. in decreto de casibus reservatis pro regularibus cap. 4. dicens: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad externam gubernationem utantur*: Ubi non condidit novum jus Pontifex, alias posset aliquando dispensari, sed declaravit jus divinum, & naturale, quod obligat sigillum in omni eventu observari, ita ut nec indirecte violeat. Ideo licet loquatur expresse de regularibus, omnes Confessarios adstringit. Atque hinc liquet nequire Confessarium, quicumque ille sit, ex auditis in con-

## PUNCTUM XIX.

## De materia sigilli.

fessione amovere subditum ab officio, etiam gratuito: nec denegare illi suffragium, esto occultum; alias uteretur notitia confessionis ad externum regimen. Ostendere tamen signa benevolentiae poenitenti ob puritatem conscientiae in confessione agnitam, non est contra sigillum, nec enim id oritur ex notitia peccati, nec retrahit a confessione, sed potius ad eam allicit.

311. Ex dictis inferitur 1. Non posse Confessarium ob audita in confessione severiori vultu, aut minus grate alloqui poenitentem; nec absque ejus licentia loqui adhuc cum illo extra confessionem de peccatis confessis ab eo; nec nutum, actionem, aut aliquid aliud efficere, ex quo peccata in ejus memoriam reducat. Verum si poenitens incipiat prius loqui de peccatis confessis cum Confessario extra confessionem, valet hic ei respondere; tunc enim censetur concedere licentiam loquendi de illis Confessario. Hic pariter potest in hac confessione loqui de peccatis, ab eodem poenitente sibi detectis in alia, quando opus sit monere, aut corrigere illum, quia fit intra idem forum sacramentale. Similiter potest loqui cum eo de auditis in confessione statim post absolutionem causa supplendi seu advertendi aliquid, quod in ea omissum est, quia censetur idem moraliter sacramentum. Si autem Confessario petenti licentiam loquendi de auditis in confessione denegat poenitens, nequit de illis loqui, esto expediat salutem aeternam ejus, cumque, vel communi bono Ecclesiae, quia observatio sigilli praevalet omni bono etiam communi.

312. Inferitur 2. Confessarium ob solam confessionis notitiam non posse vitare in publico, imo nec in occulto excommunicationem non tolleratum; neque denegare Eucharistiam indigno; neque schedulam illi, quem indispositum reperit, non absolvit; nec repellere a contrahitione matrimonii impedimento dirimente ligatum; neque Episcopum denegare ordines irregulari. Quoniam in his, & similibus esto in occulto adest exprobatio poenitentis cum ejus rubore, & gravamine, quod est contra sigillum confessionis, quia eam odiosam redderet.

313. Inferitur 3. Confessarium ob solam confessionis notitiam non posse vitare in publico, imo nec in occulto excommunicationem non tolleratum; neque denegare Eucharistiam indigno; neque schedulam illi, quem indispositum reperit, non absolvit; nec repellere a contrahitione matrimonii impedimento dirimente ligatum; neque Episcopum denegare ordines irregulari. Quoniam in his, & similibus esto in occulto adest exprobatio poenitentis cum ejus rubore, & gravamine, quod est contra sigillum confessionis, quia eam odiosam redderet.

313. Inq. 1. Quae cadant sub sigillo confessionis? R. Cadere imprimis omnia peccata gravia, esto antea jam confessata, etiam in genere, eorum species, numerum, & circumstantias. Deinde omnia peccata venialia in specie, aut numero cum suis circumstantiis. Unde dicere etiam in generali; *audivi peccatum grave in confessione talis poenitentis*, est gravissimum sacrilegium. Item dicere: *audivi hoc peccatum veniale*, v. g. mendacium leve ab hoc poenitente, vel multa peccata venialia: quia utrumque est directe contra sigillum. Ad dicere: *audivi in confessione peccatum veniale a Titio*, non est fractio sigilli; quia ex suppositione confessionis, saltem venialia censetur quilibet confiteri. Unde scrupulose mihi videtur loqui illos, qui, hoc admisso, asserunt etiam scrupulos esse materiam sigilli. Scrupuli enim ad summum sunt peccata venialia: ergo dicere in genere Titium esse scrupulosum, vel confiteri scrupulos non est contra sigillum. Aliud est, si speciem scrupuli declararet Confessarius, vel diceret sibi molestissimum fuisse in tali confessione; tunc enim fractor sigilli esset ob justum ruborem poenitentis inde exortum. Etiam tenetur Confessarius ad sigillum peccati, de quo dubitat, an sibi in confessione revelatum sit.

314. Praeter peccata cadunt sub sigillo pravae inclinationes, tentationes, pericula proxima, vitia, objecta peccati, defectus naturales, morales, aut civiles, occasio, motivum, causa, & complex criminum, & etiam imperfectiones in particulari, & similia, quae solum sciuntur ex auditis in confessione, tamquam ad ejus perfectionem, seu integritatem ordinata. Peccata omnino publica cadere etiam sub sigillo tenet communis sententia; ita ut de homicidio publico a Petro perpetrato, & mihi ab eo confesso nequeam dicere: *Petrus mihi cum dolore, & lacrymis illud homicidium confessus est*. Idem est de publica meretrice, de qua nequit Confessarius dicere: *illa sua peccata carnalia mihi cum dolore magno confessata est*.

315. Si autem Confessarius interrogetur



ur de peccatis penitentis, potest absolute respondere se illa nescire. *Nam illud quod homo alias scit sive ante confessionem, sive post, non tenetur celare quantum ad id, quod scit, ut homo potest enim dicere: scio illud, quia vidi: tenetur tamen celare illud, in quantum scit ut Deus: non enim potest dicere: ego hoc audivi in confessione;* ait D. Thom. in suplem. q. 11. a. 5.

316. Si vero interrogetur, an absolvetur illum, quem revera non absolvit, debet respondere, *functus sum officio meo, vel feci quod debui.* Si autem interrogetur, an ponenda sit formula pro illius communionem, respondeat, quod quaerant ab ipso, an velit communionem recipere. Idem debet respondere pro infirmo viaticum recepturo. Si autem sit Parochus, qui absolutionem denegavit infirmo, si iste non petat viaticum, sistat ab eo deportando. Si vero illum deposcat, quaerat ab illo, an habeat quidquam reconciliandum, si affirmet, manente Parocho solo cum infirmo, suadeat efficaciter, ut perficiat omnia a se injuncta. Si demum nihil proficiat, & insistat pro viatico, debet illum ei ministrare; alias esset fractor sigilli.

317. Inq. 2. An accedente utroque conjuge ad confessionem, primo maritus fatetur quoddam peccatum grave simul cum uxore perpetratum; hæc autem deinde accedens nihil tale confitetur, possit Confessarius illam de eo interrogare? R. neg. Solum potest, & debet in communi ab illa quaerere si quid aliud habeat confitendum? Si ipsa respondeat nihil amplius habere, & alias non adsit iusta causa ad negandam, vel differendam absolutionem, debet eam absolvere. At si extra confessionem scit certo Confessarius penitentem commisse grave crimen, debet monere, ut fateatur, & si nolit, supposito quod Confessarius scit certo non hucusque illud fuisse confessum, debet ei denegare absolutionem.

318. Inq. 3. An sit violator sigilli Confessarius, qui diceret in aliqua civitate, vel religione committi plura crimina? R. Sub distinctione. Vel enim illa detegit de civitate populari, aut de tota religione, & sic non censetur violator sigilli, quia nec aliquis in particulari infamatur, nec ipsa civitas, aut Religio; notum enim est, ubique adesse homines infirmos, lutea va-

sa portantes. Vel detegit de oppido parvo, aut de aliqua communitate, & ita ob oppositam rationem sigilli fractor est. Semper tamen cavendum est Confessariis ab his propalationibus, maxime coram secularibus, quia saepe scandalum patiuntur. Unde audita in confessione artissimum silentio, & oblivioni aeternae sunt tradenda. Ideo enim hæc obligatio dicitur sigillum, quia in confessione audita, non solum occulta, sed perpetuo sigillata manere debent.

319. Inq. 4. Quid agendum Confessario, qui ex alicujus confessione novit sibi in Missa venenum, vel in via insidias parari, vel imminere aliud malum grave in fama, aut aliis bonis? R. Quod petat a penitente licentiam utendi tali notitia ad sibi occulte præcavendum, quam si dare noluerit, esto illum non absolvat, nequit uti illa notitia, si ex ejus usu penitenti aliquid malum timeatur sequendum, aut aliis præbeat motivum suspicandi ex confessione oriri talem præcautionem. Nisi hæc ita caute apponatur, ut aliis causis tribui possit; ut si in exemplo veneni mixti vino consecrando, hoc veluti casu effunderet Sacerdos ad formationem crucium, vel quid simile.

## PUNCTUM XX.

## Alia dubia de sigillo.

320. Inq. 1. Ex qua confessione oritur obligatio servandi sigillum? R. Oriri ex omni, & sola confessione sacramentali ex intentione penitentis, sive absolutione perficiatur, sive non; sive valida sit confessio, sive nulla. Si autem confessio ex intentione penitentis non sit sacramentalis, esto aliquis dicat Sacerdoti, ut solent rudes, quod illud commendat sub sigillo confessionis, etiam si id dicat flexis genibus, erit sigillum naturale, non vero sacramentale. E contra si quis confiteatur Sacerdoti ficto, vel etiam laico, putans habere potestatem in articulo mortis, oritur obligatio sigilli, quia jam confessio est sacramentalis ex intentione penitentis, esto in utroque casu decipiatur circa legitimum ministrum. Si judæus, aut hæreticus, qui solum apparenter recipit sacramenta, nec ea credit, fateretur Confessario

rio suum errorem, nec vellet illum deserere, non teneretur Confessarius ad sigillum confessionis, utpotè non sacramentalis. Idem est de quolibet accedente non intentione se accusandi coram Deo, sed inducendi Confessarium ad malum, aut injuriis illum afficiendi, vel minis deterrandi.

321. Inq. 2. Qui teneantur ad sigillum confessionis? R. Teneri Confessarium, sive verum, sive fictum. Deinde superiores, a quibus petitur facultas ad reservata absolvenda. Præterea omnes audientes confessionem, sive licite, ut in naufragio; sive illicite, ut si quis ex professo auscultando aliquid audiret. At si quis voluntarie confiteretur alta voce, ut adstantes audirent sua crimina, non adest sigillum confessionis. Consiliarius Confessarii, & interpres, & quicumque, sive juste, sive injuste audiunt a Confessario aliquid, in confessione revelatum, æque tenentur ad sigillum. Penitens non tenetur ad sigillum, alias nequiret denunciare Confessarium sollicitantem. Qui invenit cartam, ubi sunt scripta peccata penitentis, probabilius non tenetur ad sigillum sacramentale, sed tantum ad naturale, quo illa adstringitur strictissime celare. Qui ex confessione novit non esse Sacerdotem illum, cui antea solebat confiteri, nequit abstinere a confessione ei facienda, si inde resultaret aliqua nota, vel gravamen ficto Confessario.

322. Potest autem in dicto casu apparenter tantum ei confiteri, ut ajunt plures. Concina tamen in præsentem nihil resolvens, reprobatur tunc posse fieri confessionem apparentem. Cur? Quia numquam licet simulare sacramenta. Venusta ratio! Illa probat non posse penitentem, cui denegatur absolutio, se inclinare, neque Confessarium posse proferre aliquam orationem ad vitandam notam adstantium; quod improbat a communi praxi timoratorum, qui prudenter sic se gerunt ad consulendum tum sigillo sacramenti, tum fame penitentis. Et si Concina in his circumstantiis, quæ frequenter contingunt, non ita se gessit, non ideo consulere sigillo sacramenti, fameque proximi reprobare debet. Casus est methaphysicus, ut omnes ajunt, igitur unusquisque abundet in sensu suo.

323. Inq. 3. An ad aliquid possit Confessarius uti licite notitia confessionis? R. Quod quando usus talis notitiæ nullo modo revelat confessionem aliis, vel ipsi penitentis, nec est in ejus damnum, nec ei ingratus, potest sibi uti tali notitia. Unde valet orare Deum pro bono penitentis, evolvere libros pro ejus instructione, consulere doctiores in communi de casu difficili, quin exprimat adhuc indirecte auctorem illius; custodire res suas illis mediis, quibus alii eas servant, & alia ex quibus nulla revelatio confessionis, nullusve pudor, aut damnum penitentis oriatur. Certum etiam est posse uti notitia confessionis ex licentia expressa penitentis, eo modo, & illis circumstantiis, quibus a penitente conceditur. Dicimus hoc esse certum, quidquid alii dicant; quia sigillum confessionis institutum est in favorem peculiarem penitentis, & sicut ipse potest revelare sua peccata, ita valet medio altero eadem manifestare modo a se præscripto; alias, ut diximus, non posset penitens denunciare Confessarium sollicitantem.

324. Nota, quod esto penitens non tenetur sigillo confessionis; tenetur iure secreti naturalis ad non propalanda audita in confessione cum injuria, aut irrisione Confessarii. Unde valde reprehensibiles sunt quædam personæ, quæ invicem inquirunt, & detegunt ea, quæ Confessarius illis dixit. Solum enim de eis loqui debent ex causa rationabili, consilii capiendi, aut alterius boni spiritualis, minime causa recreationis, uti imprudenter efficiunt plures.

325. Inq. 4. Quas penas incurrat Confessarius ob sigilli violationem? R. Nullam penam incurrere ipso facto. Tamen in Concilio Laterano, in cap. *Omnis, de penit.* & *remiss.* assignatur poena ferenda perpetue reclusionis in aliquo monasterio. In hanc fuit commutata poena antiqua depositionis, & perpetuæ, ac ignominiosæ peregrinationis imposita in *can. Sacerdos, de penit. dist. 6.* Igitur nec irregularis fit Sacerdos violator sigilli, nec alii ejusdem criminis rei præter Confessarium, incurruntsu hiis penas ferendas arbitrio Ordinarii, cui privative competit ejus cognitio. Sigilli fractio non est delictum suspensum in fide, plus enim oritur ex loquacitate,



tate, & inconsideratione, quam ex defectu fidei: nisi adsit error circa obligationem illud observandi.

## PUNCTUM XXI.

## De sollicitatione.

Quidam prolixè, quidam vero cursim tantum hanc gravem discutunt materiam. Ideo media via incedendo, ea, quae magis necessaria sunt, explanare in hoc puncto cupimus quatuor §§.

## §. I.

Definitur sollicitatio, ejusque deformitas explicatur.

326. Inq. 1. Quid sit sollicitatio? R. Quod prout in praesenti, est Provocatio ad inobediencia, aut venera a Confessario, seu Sacerdote facta in confessione, sive immediate ante, sive immediate post, seu occasione, aut pretextu confessionis, aut in confessionario, vel alio quovis loco ad audiendas confessiones selecto, simulando ibidem confessiones audire.

327. Inq. 2. Quot sint constitutiones pontificiae editae contra sollicitantes? R. Esse sex. Prima Pauli IV. anni 1561. Secunda Pii IV. 1564. Tertia Clement. VIII. 1592. Quarta Pauli V. 1608. Quinta Greg. XV. 1622. Sexta Benedicti XIV. 1741. His omnibus decretis apostolicis reprobat, proscribitur, & damnatur execrabile crimen sollicitationis. Verum in ultima Bulla incipiente: *Sacramentum penitentiae*, anteriores confirmantur, explicantur, & comprehenduntur quatuor casus in prioribus non expressi. 1. Quod esto Sacerdos sollicitans sit simplex, seu carens jurisdictione, obnoxius maneat denunciationi. 2. Quod idem censeatur, sive sollicitatio motua sit inter Confessarium, & poenitentem; sive hic consentiat, sive non. 3. Quod adest obligatio denunciandi Confessarium sollicitantem, etiam transacto multo tempore. 4. Quod debet denunciari Sacerdos, esto sollicitatio non pro se ipso, sed pro alia persona ab eo peracta fuerit. Unde cessavit varietas opinionum circa praedictos quatuor casus.

328. Inq. 3. An praedictae leges sint poe-

nales, seu ex illis, quae odiosae appellantur? R. affirm. Quia earum materia est poenalis. Unde non debent extendi ad alia crimina in confessione perpetrata, praeter venerea; nec ad alia sacramenta praeter poenitentiam. Ideo Confessarius sollicitans ad furtum, seu homicidium in confessione; vel ad venerea in baptismo, aut aliis sacramentis, non est reus denunciationis ex vi harum legum. Neque laicus, aut clericus non Sacerdos, qui fingens se Confessarium sollicitaret, aut crimen carnale in tali confessione committeret, quia leges poenales non debent extendi de casu ad casum ultra sensum proprium, ac naturale, & praedictae leges loquuntur de vero Sacerdote. Tamen ex alia constitutione Benedicti XIV. incipiente: *Sacerdos in aeternum*, denunciandus est tribunali Inquisitionis omnis non Sacerdos, qui fingens se Sacerdotem, aut Confessarium, celebrat elevans hostiam, aut calicem; vel profert verba absolutionis, & fit reus degradationis, & traditionis brachio seculari. Quamvis Sacerdos, aut Confessarius sollicitans in confessione ad peccata non venerea, vel ad venerea in aliis sacramentis non sit denunciandus Inquisitoribus; debet tamen suis Praelatis respectivis denunciari, ut illum corrigant: est enim valde indignus sacramenti minister, penitus arcendus a tali officio.

329. Inq. 4. Cur potius sollicitatio ad turpia, non vero ad alia crimina comprehendatur, & reprobetur in dictis legibus? Respondet quidam, quod in poenitentia adest quodam vinculum spirituale, quod non reperitur in aliis sacramentis, nec specialiter opponitur aliis peccatis. Sed aperte fallitur; quia in baptismo, & confirmatione adest vinculum spirituale; & tamen esto baptizans feminam adultam sollicitaret eam, non evaderet reus hujusmodi denunciationis. R. Igitur, quod ideo sollicitatio ad turpia in confessione adeo severe prohibetur dictis legibus, vel quia ad illa prior est fragilitas humana; vel quia hoc delictum frequentius esset, & saepius in tribunali poenitentiae committeretur; ait Benedicti XIV. in *syn. lib. 6. c. 11. n. 14.*

330. Inq. 5. quot peccata committat Sacerdos sollicitans in confessione? R. Ad minus regulariter quinque committere. 1.

contra castitatem. 2. contra proprium votum. 3. contra reverentiam sacramenti. 4. contra reverentiam loci, dum fit in Ecclesia. 5. scandali contra charitatem. Possunt etiam adesse alia flagitia, vel adulterii, incestus, stupri, aut aliarum specierum juxta circumstantias occurrentes. Quot facinora in eodem crimine! Adeo enorme est peccatum hoc, ut non admittat parvitatem materiae: Nam licet in peccatis luxuriae dari posset, non tamen in hoc flagitiosus to enim actiones, nutus, seu verba sollicitationis ex se, seu physicae levia appareant, offendunt tamen graviter reverentiam sacramenti, et consequenter sunt gravissimum sacrilegium. Imo sollicitatio in confessione est crimem generans suspicionem in fide, ac proinde S. Inquisitioni reservatum, a quo ex consequenti non potest absolvi nisi virtute privilegii, sicut de sortilegio, et aliis in fide suspectis diximus tract. 10. n. 187.

## §. II.

Expenduntur modi, quibus sollicitatio accidere potest.

331. Inq. 1. Quot modis fieri valeat sollicitatio? R. Posse perpetrari sex modis, qui indicantur per illas particulas: *In confessione; immediate ante; immediate post; occasione confessionis; confessionis pretextu; in confessionario; vel alio quovis loco ad audiendam confessionem electo.* Tunc fit sollicitatio in confessione, quando ea incepta Confessarius sollicitat poenitentem. Imo esto absolutio non sequatur, quia Confessarius interruptit confessionem. Tunc verificatur particula immediate ante, vel immediate post, quando inter confessionem, & sollicitationem non mediati quod tempus sufficiens ad interruptionem moralem. Vel etiam quando sollicitatio habet connexionem cum confessione; ut si sollicitaret Confessarius personam expectantem pro confessione faciendae; vel hac audita, ducat poenitentem ad suum cubiculum pro confessionis schedula ei tradenda, & ibi illum sollicitet. In primo est sollicitans immediate ante, in secundo immediate post.

332. Inq. 2. In quo differant occasio, & pretextus confessionis, & quando veri-

ficientur? R. Quod occasio confessionis solum datur, quando ex parte poenitentis intenditur vera confessio. Ut si Confessarius vocatus a foemina volente confiteri, mutata deinde voluntate, adesset sollicitatio; vel si Confessarius in Ecclesiae januis specians foeminam venientem ad confitendum, eam ibi sollicitaret, est sollicitatio occasione confessionis. Pretextus autem adest, quando non vera confessio, sed simulatio, seu color confessionis fingitur pro sollicitatione faciendae. Ut si foemina fingens se aegrotam vocaret Confessarium simulando apud domesticos velle confiteri, & sic quidquam inhonestum ambo committereat. In tali casu esto foemina prior sollicitet, & Confessarius minis, aut ex metu consentiat, debet denunciari; quia prae-textu confessionis tractatus inhonestos habet. Si autem regularis pro licentia egrediendi obtinenda diceret Praelato, se pergere ad confitendum, nihil tamen fingeret in domo foeminae, esto eam seorsim provocaret ad turpia, non esset reus sollicitationis; quia tunc prae-textus non est respectu poenitentis, nec ejus domesticorum, sed respectu obviendi egressum, quod valde remote se habet ad confessionem: poterat enim eodem prae-textu exire sine animo confitendi, nec sollicitandi, & casualiter perpetrare crimen carnale, quo in casu certum est reum sollicitationis non esse. Neque talis foret Confessarius, qui extra confessionem laico suaderet, ut sub larva confessionis sollicitaret poenitentem, sive nomine sui, sive nomine utriusque; quia nec sollicitans est Sacerdos, nec suasor gerit munus Confessarii.

333. Inq. 3. An Confessarius, qui rem haberet cum foemina arte aliqua, in somnum inducta, vel sopita casu, paroxismo, aut morbo, in confessione, vel immediate ante, vel immediate post, esset denunciandus? R. affirm. Quia non solum ex dictis particulis, sed etiam occasione confessionis est reus irreverentiae sacramenti, & consequenter denunciationis. Idem est, dum foemina in confessione non intelligit nutus, seu verba provocativa; sed postea talia fuisse certo cognoscit. Dicitur certo, quia propter signa, & verba dubia non debet denunciari. Confessarius; est enim quisque in possessione suae fame, a qua in dubio expoliari non licet. Alias vix ullus



Confessarius auferet tale munus exercere, cum quilibet, etiam cautissimo aliquid signum, seu verbum dubium e lingua excidere possit. Igitur dum alia indicia contra Confessarium non urgeant, pro illius probitate decidendum est. Oppositum esset dicendum, quando nutus, aut verba forent certo provocativa, & dubitaretur de hoc Confessario, an illa protulerit. Tunc enim sub tali dubio est denunciandus, ut pro se ipse respondeat. Confessarius laudans foeminae de pulchritudine imprudenter agit. An vero sit denunciandus, ex circumstantiis pendet. Idem est de tribuente foeminae donum insolitum in confessionali.

334. Inq. 4. An Confessarius sollicitans in confessionario sine ordine ad confessionem sit denunciandus? R. Tria posse esse loca confessionum. 1. Est confessionale, seu ordinarius locus pro confessionibus audiendis. 2. Quaedam cellula, seu Capella in monasteriis, in quibus confessiones ut plurimum excipiuntur. 3. Est indeterminatus locus arbitrio Confessarii electus. Igitur in duobus posterioribus locis absque ordine, aut simulatione confessionis non est reus denunciationis, quia non sunt loca omnino pro audiendis confessionibus destinata. Verum probabiliter arbitror denunciandum esse sollicitantem in primo loco etiam absque ordine ad confessionem, & absque ejus simulatione: quia Bulla Gregoriana: *Universi dominici*, & Benedictina: *Sacramentum penitentia* reos denunciationis decernunt Confessarios sollicitantes *extra occasionem confessionis in confessionario*, vel etiam *extra occasionem confessionis in confessionali*; quae quidem verba in sensu naturali accepta, praesertim ab aliis, satis innuunt denunciandi obligationem.

335. Praeterea in decreto Pauli V. edito Jul. 1614. dicitur: *Fuisti relatione, quod multi Confessarii tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis sanctissimi debere vitare contra hujusmodi Confessarios procedatur in sancto officio*. Nec valet dicere loqui supposita simulatione confessionis, quia hoc etiam juxta Patrios oppositis sententia cavetur, expresse in praefata Bulla Gregoriana: ergo si posterioris decretum non est frustraneum, saltem ex veritate nostra assertio tenenda

est, ut serio consideranti patebit. Agnosco mitius esse agendum cum eo, quam cum aliis, qui simulando confessionem sollicitant. Sicut etiam mitius est procedendum cum Confessario ex minis, & metu sollicitationi consentiente. At uterque juxta decreta pontificia est reus denunciationis.

336. Inq. 5. An qui in confessionali immediate ante, vel immediate post confessionem tribuit poenitentem, aut alteri cartam ad turpia incitantem postea legendam sit denunciandus? R. affirm. constat ex propos. 6. damnat. ab Alexand. VII. *Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitentem cartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitans in confessione, ad primum non est denunciandus*. Similiter denunciari debet, qui confitendo Titiam, nutibus sollicitat Bertam, vel aliam quamvis personam coram, vel circa se habentem. Sicut ille, qui imponit poenitentiam alicui personae, ut ab ipso domi nuda verberetur, vel aliud quidpiam inhonestum sibi ostendat. Nam praecipue ab executione, quilibet sermo, nutus, aut tractatus inhonestus in confessionali est crimen sollicitationis, ubi noxium denunciationis. Similiter est denunciandus Confessarius, qui foeminae accedenti ad confessionale dissuadet confessionem intentione prava eam postea sollicitandi, ac subinde in Ecclesia, itinere, aut domi eadem die incitaret ad turpia. Idem est, si sollicitaret illam, quae ad confessionale accedit dicens, se velle crastina die confiteri, quia occasione confessionis fit tunc sollicitatio.

337. Idem dicunt aliqui de Confessario, qui ex fragilitate foeminae cognita in confessione etiam post aliquot dies eam sollicitaret, quia alias astuti Confessarii, ut evaderent poenam denunciationis, valent hoc modo se gerere. Ita Concina in praesenti. Sed hoc rigidum est; nec habet fundamentum in Bullis pontificiis, quae immediate ante, vel immediate post dicentes, sufficienter expriment nolle tantam extensionem; alias dicereet absolute ante, vel post. Verum prudentissime non hoc, sed illud dicunt, ut innuat debitam sacramento reverentiam; quae non ita offendit dum sufficiens interruptio moralis mediat inter confessionem, & sollicitationem. Utinam omnes Confessarii in eo essent sal-

tem

tem astuti, ut nullam irreverentiam sacramento irrogarent! Sicut si esset imposita censura contra furantes coram Eucharistia exposita, qui expectaret ejus reservationem ad furandum, censuram non incurreret. Nec esset ad rem dicere fures astutos fore. Sint utique astuti, sed eo ipso, quod abstinent a peccato perpetrando coram sacramento, illam poenam evadunt, nec oppositum valet probari solida ratione.

## §. III.

## De obligatione denunciandi.

338. Inq. 1. Qui teneantur denunciare Confessarium sollicitantem? R. Teneri in primis poenitentem sollicitatum, sive virum, sive foeminam; sive sollicitanti consentiat, sive non. Non tamen tenetur, nec opus est consensus suum proderet, si forte illum praebuit. Imo esto foret sollicitatus apud infidelium terras, tenetur denunciare poenitens ad fidelium regna; tum quia memoratae leges ex se ubique obligant; tum quia talis Confessarius est suspectus de haeresi. Deinde in defectu poenitentis tenetur denunciare omnes, etiam impuberes, qui licite, vel illicite sciunt certo, etiam sub secreto naturali, sollicitationem a Confessario factam. Solum excluduntur ab hoc onere illi, qui eam sciunt sub sigillo confessionis, aut quæsiti ad petendum consilium. Illi vero, qui eam audierunt a foeminis fide indignis, non debent denunciare, ne exponantur periculo proximum graviter infamandi.

339. Inq. 2. Intra quot dies debeat fieri denuntiatio? R. Debere fieri Romae intra triginta dies; in Hispania autem intra sex a notitia sollicitationis, & obligationis. Hoc est intra sex dies a sequenti, in qua notitiam habuit. Hujusmodi obligatio est personalis, ideo personaliter debet fieri denuntiatio: si ita fieri non valeat, fiat per scripturam subscriptam proprio nomine, & cognomine, exprimens diem, horam, locum, nomen, & cognomen denunciati. Si neque hoc possit fieri, fiat medio commissario, aut notario inquisitionis, aut mediante Parocho loci. Confessarius agnosceus certo poenitentem fuisse sollicitatum ab alio Confessario, te-

Tom. II.

netur sub gravi imponere illi hanc obligationem denunciandi. Non tamen tenetur ipse assumere hoc onus denunciandi nomine poenitentis. Imo nec ad hoc est adstringendus. Si autem Superior respectivus, qui in Hispania est privative Tribunal inquisitionis, alibi Episcopi, committat illi, ut recipiat in scriptis denuntiationem firmatam, maxime ab aliqua moniali, ut majori secreto fiat, aptissime munus internuntiationis obire potest, ut patet ex decreto inquisitionis. Roman. sub Urban. VIII. 27. Sept. 1624.

340. Inq. 3. Quam poenam incurrat omittere culpabiliter denunciare intra praedictum tempus? R. incurere excommunicationem majorem Papae, vel S. Tribunalis reservatam, a qua nullus potest absolvere, nisi satisfacta parte, hoc est, facta denuntiatione. At si poenitens dicta censura ligatus accedat ad confessionem vere dispositus, proponens firmiter se quocumque denunciaturum, poterit pro prima vice absolvi virtute Bullae cruciatæ, adstante gravi causa, ut non obscure innuit Bened. XIV. in sua Bulla illis verbis: *vel saltem cum primum poterunt, delaturos spondeant, ac promittant*. Verum, si poenitens non impletur quamprimum promissa, iterum incurreret eandem specie censuram, neque amplius deberet absolvi, nisi facta denuntiatione.

341. Inq. 4. An sciens sollicitationem debeat denunciare, esto sollicitans sit emendatus? R. affirm. Tum quia constitutiones pontificiae absolute id jubent: ergo absolute obediri debent. Tum quia denuntiatio non jubetur praesice ad emendationem delinquentis, sed ad bonum commune Ecclesiae, resarciendumque scandalum aliis datum. Imo in Hispania edicto S. tribunalis praecipitur denunciari suspectos in fide, etiam mortuos. Similiter denunciari debet Confessarius convictus, & punitus, non solum si post punitionem iterum sollicitet, in quo non est dubium, sed ob sollicitationem ante punitionem perpetratam, vel quia de ea non fuit sufficienter convictus, vel quia ante punitionem aliam foeminam sollicitavit, vel saepius eandem: tum quia singula, quae non probant, simul conjuncta juvant. Tum quia diversa sollicitatio diversam denuntiationem requirit. Pa-

T

riter



riter est denunciandus sollicitans, esto de tali crimine antea non sit diffamatus, vel alias magna probitatis fama polleat, vel probari nequeat: quia est delictum vergens in damnum commune Ecclesiae: unde etiam Episcopi, Nuntii, & Inquisitores sunt denunciandi Papae, vel S. Tribunali, ut de hoc Papam moneat.

342. Inq. 5. An cum periculo gravis damni proprii teneatur quis ad sollicitantem denunciandum? R. Vix, aut rarissime dari tale periculum in denunciante. Si autem aliquando vere adsit, praesumitur de Ecclesiae benignitate nolle obligare cum tanto detrimento, uti de legibus humanis dicitur regulariter. Nisi in casu, quod ex omissione denuntiationis bonum commune religionis periclitaretur; ut si sollicitans frequenter hoc execrabile crimen committeret cum despectu sacramenti. Tunc enim etiam cum periculo vitae facienda est denuntiatio. At cum tanto periculo non adstringitur quis denunciare semel tantum sollicitantem, nec ita voluit obligare leges Ecclesiae. Notent tamen praesertim foeminae, esto nobiles, nullum dari periculum famae in denuntiatione faciendae, neque inhonestum esse coram Inquisitore, aut ejus ministris ad id comparere; sed potius suae ingentis nobilitatis, catholicaeque fidei publicum testimonium in eo deponere.

## §. IV.

## Alia dubia de sollicitatione.

343. Inq. 1. An denuntiatio praecise debeat fieri omnia correctione fraterna? R. neg. Nam aliud est posse fraternaliter moneri reum sollicitationis, ut respiciens se denuntiet; aliud non posse denunciari sine fraterna correctione. Opinio asserens non posse denunciari delicta ad officium spectantia, nisi praemissa correctione fraterna, reprobatam est decretis inquisitionis Hispaniae. Imo etiam ab Alexand. VIII. in congress. S. Offic. coram ipso habita 8. Jul. 1660. Verum nulla lege, aut decreto vetatur, quod, supposito firmo animo denunciandi, moneatur prius reus sollicitationis, ut sibi provideat, & sponte compareat Judici respectivo. Sic enim, & correctionis divinum, & naturale praecceptum,

& simul humanum denunciandi adimpletur, ut sapienter ait Bened. XIV. Syn. I. 6. c. 11. n. 10.

344. Inq. 2. An evadat obligationem denunciandi Confessarium sollicitantem, qui eidem iterum confitetur? R. neg. Constat ex prop. 7. damnat. ab Alex. VII. *Modus evadendi obligationem denunciandi sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest eum absolvere absque onere denunciandi.* Haec propositio, applicando vera falsi, gravissimam falsitatem deponit. Verum est Confessarium sollicitantem non teneri imponere obligationem ipsum denunciandi, quia nemo tenetur seipsum prodere. Falsum tamen est hoc modo evadi illam obligationem; quia haec quamdiu non impleatur, semper urget. Praeterea semper fuit suspecta, atque etiam illicita sine causa confessio peccati carnalis facta compliciti, nunc vero est penitus invalida, igitur etiam ex hoc capite, si sollicitatio mutua fuit, vel uterque in eam consensus, dicta propositio a veritate aberrat.

345. Inq. 3. Quomodo se geret Confessarius, si persona a se sollicitata redeat ad sibi confitendum? R. Quod si possit, se excuset ab ea audienda; si vero non possit absque infamia, vel scandalo; aut accedit ignorans, vel sciens obligationem eum denunciandi. Si primum, & exterius nullo modo consensit ipsa sollicitationi, supposito quod sit disposita, eam absolvar, & potest in reliquo tacere, quia, ut dixi, non tenetur contra se dictam obligationem imponere. Si autem poenitens inquirat de tali obligatione, respondere valet, quod id quaerat ab aliis, & quod nunc doleat de omnibus culpis in generali. Melius tamen aget, si aperte revelet poenitentem suam obligationem, & illico occurrat ad se sistendum legitimo Judici; sic enim erit confusio minor, & poena levior. Si secundum, nequit eam absolvere, saltim absque firmo proposito quamprimum denunciandi, & absque causa rationabili, & privilegio legitimo, si forte jam censuram incurrit. At si exterius consensit poenitens sollicitationi, nullatenus potest illum absolvere; imo nec audire ejus confessionem, sed quantocius illum debet a se repellere.

346. Inq. 4. Quot testes sufficient ad probandum sollicitationis crimen? R. Hoc pendere ex prudentia respectivi judicis. Una foemina sola non reputatur sufficiens adhuc ad semiplenam probationem; quia nihil muliere levius. Mæretrices autem, & aliae hujus furfuris omnino a denunciando sunt repellendae. Ubi vere datur sollicitatio, raro est una sola, quia abyssum invocat.

347. Inq. 5. Quae sint poenae sollicitantium? R. Poenas proportionari culpis. Culpa autem potest esse levis, gravis, & gravissima, quibus correspondent similes poenae. Poena levis est v. g. recitatio aliarum precum, jejunium, aut quid simile, quod acri reprehensione imponitur a Judice, his qui sponte comparent, & de unica sollicitatione humiliter se accusant. Poena gravis est abjuratio de levi, privato audiendi confessiones, beneficiorum, vocis activae, & passivae, quae correspondet gravi sollicitationi; ut sollicitare pluries in ipsa confessione, ita ut reus de hac culpa sit convictus. Poena gravior est damnatio ad perpetuam carcerem, vel ad tres annos, correspondens sollicitationi saepius cum scandalo repetitae. Poena gravissima est degradatio, & traditio rei brachio saeculari capite multandi. Sed haec non datur nisi ob gravissimam culpam; ut si matrem, aut filiam per vim carnaliter in ipso actu confessionis cognovisset, vel quid simile. Privatio celebrandi non incurritur a sollicitante ipso facto, ut bene ait Ligorius se retractans lib. 6. n. 705.

348. Confessarii saltem regulares abjurantes de levi ob sollicitationem, manent inhabiles ad officia, & dignitates ex decreto Urbani VIII. 1626. Omnes etiam Sacerdotes sollicitantes, praeter alias poenas privantur celebratione Missae, non tamen ante sententiam declaratoriam criminis, ut dictum est. Eademque privationem incurrit Sacerdotes, qui sacrificio Missae abutuntur ad sortilegia ex decreto Congr. S. Offic. sub Bened. XIV. 21. Aug. 1745.

349. Inq. 6. An sub gravi teneatur secreto naturali assistens sententiae contra sollicitantes januis clausis in S. tribunali prolata? R. affirm. Ideo enim hujusmodi sententia regulariter in secreto, & solum

coram personis ecclesiasticis, rarissime vero coram laicis profertur in publico; neque convenit, ne fideles a sacramenti receptione retrahantur: ergo illam, vel reum propalantes graviter peccant, & ad famam restitutionem tenentur. Idem est dicendum de alia quamcumque sententia occulte lecta in S. Officio solum coram aliquibus ad eam audiendam peculiariter vocatis; quia hoc ipsum depromit debere manere intra cancellos tribunalis, & inter assistentes.

350. Inq. 7. Quid dicendum de falso denunciante Confessarium innocentem ad S. tribunal? R. Hunc perversum calumniatorem sive per se, sive per alios talis sit, jura naturae esse indignum absolutioe, quamdiu non se retractet: ita ut nec in articulo mortis possit absolvi, nisi praemissa retractione fidem faciente apud Inquisitores, ad hoc quippe ipso jure naturali tenetur, sicut qui abstulit pecuniam. De utroque enim verum est: *Non dimittitur peccatum, nisi restitutum abiatum.* Quod eo amplius tenet in calumniatore injusto, quo pretiosius est ab eo ablatum. Unde jure naturae est reservatum hoc immane crimen. Nihilominus illud etiam reservavit Papae absque censura Bened. XIV. in supra citata Bulla: *Sacramentum penitentiae.* Ideo hoc peccatum est reservatum Papae absque censura. Postest tamen satisfacta parte absolvi, tum in articulo mortis, tum in vita virtute Bullae cruciatæ. Parte autem non satisfacta, neque ab ipso Papa valet absolvi. Si calumniator denuntiet Confessarium innocentem de aliis delictis extra materiam veneream, non incurrit reservationem pontificiam, in nullo tamen casu absolvi valet nisi praemissa retractione.

## PUNCTUM XXII.

## De complice venereo.

351. Inq. 1. Quid sit dispositum circa absolutionem complicitis venerei? R. Esse dispositum, quod excepto articulo mortis absolutio data a Confessario poenitentis complici in peccato venereo sit nulla: & insuper, quod Confessarius illam scienter tribuens etiam in articulo mortis, adstante alio Sacerdote etiam simpliciter, qui



qui munus Confessarii obire possit, incurrat ipso facto excommunicationem maiorem, Pontifici reservatam. Vereor hanc constitutionem, quoad hanc secundam partem multiplicis dubii, difficultatis, ac scrupulorum esse scaturiginem: illam tamen, ut par est, veneror, quia eam sic decrevit Bened. XIV. in Bulla supra laudata: *Sacramentum penitentiae*, quam postea declarare curavit, quo ad hanc partem in alia incipiente: *Apostolici munus*, 8. Februar. 1745.

352. Inq. 2. Quotuplex sit complicitas? R. Esse duplicem: aliam materialem, seu objectivam, aliam formalem. Complicitas materialis, seu objectiva datur quando unus peccat cum alio, isto exteriori prorsus resistente; hic enim solum se habet, tamquam materia, seu objectum peccati alterius: ideo dicitur complicitas materialis, seu objectiva. Formalis autem adest quando in eodem peccato uterque exteriori consensit verbo, nutu, aut actione ex se gravi, vel sufficiente ad gravem culpam in hac lubrica carnis materia. Peccatum igitur, in quo solum reperitur complicitas materialis non reservatur in praefatis Bullis. Unde esto Confessarius sollicitus verbis, tactibus, aut amplexibus foeminae, si haec exteriori nullo modo consentit, vel e contra, quamvis interiori consenserit, valida erit absolutio illi impartita a dicto Confessario. Si autem licita, ex circumstantiis dependet. Omnis quippe poenitens abstinere debet a confitendo quocumque modo complici in quavis materia, seclusa rationabili causa; hac vero existente licita erit talis confessio, & absolutio. Ex qua regula plura inferri valent; quae brevitate gratia praetereo.

353. Inq. 3. An Confessarius possit absolvere in vita virtute alicujus privilegii suum complicem formalem in peccato venereo? R. neg. Constat expresse ex duplici laudata Bulla Benedictina. Unde saltem scienter data absolutio complici dicto extra articulum mortis, sive directa, sive indirecta est omnino nulla, utpote collata a Sacerdote jurisdictione, imo & approbatione privato, & carente. Quod intelligitur non solum de peccato consummato, ut aliquis perperam interpretatur, sed de quocumque peccato externo, certo, & gravi contra castitatem. Nam ubi

lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; & peccatum in genere omnes species comprehendit. Et alias frustraretur principalis finis huius dispositio nis, ut consideranti patebit. Aliter posset Confessarius non consummando peccatum carnale inhonestissime agere cum suo complice, & sic diu vivere sub spe absolutionis facile obtinendae. Quod vitare potissimum intendunt memoratae Bullae. Unde nec metu infamiae, aut mortis potest Confessarius absolvere dictum complicem, nisi in articulo mortis.

354. Dicit: Omnis reservatio intelligitur de peccato in sua linea perfecta, & consummato: ergo idem de praesenti dispositione. R. neg. conseq. Quia praesens dispositio est plusquam reservatio; quia reservatio solum aufert jurisdictionem a Confessario, ideo hic virtute privilegii valet absolvere reservata. Dispositio vero praesens tollit jurisdictionem, & simul approbationem; qua ratione virtute nullius privilegii, etiam Bullae cruciatuae, nec semel in vita potest absolvere Confessarius peccata sui complices venerei.

355. Inq. 4. An qui, cum laicus esset, peccavit cum Berta, postea Sacerdos, & Confessarius factus, possit eam de illo peccato absolvere? R. Sub distinctione: Vel illud peccatum est jam directe absolutum ab alio Confessario, vel non. Si primum valet, si secundum, minime, quia caret jurisdictione ad illud primo absolvendum. Si autem jam antea est directe absolutum, est materia voluntaria, de qua Bullae non loquuntur. Sicut nec de peccatis ad poenitentiam non spectantibus; ut si Confessarius peccaret cum Cathecumena, quae baptizata valide absolveretur, ab eo de peccatis, post baptismum non secum commissis. Neque peccata dubia dubio facti, quia haec ut talia non reservantur, & si aliquando volunt reservari, aperte exprimentur. Nec absolutio peccati dubii dubio facti opponitur, sui praesentis dispositionis, quae ad vitanda peccata certa, & omnino deliberata praecipue tendit. Si peccatum esset dubium dubio, speciei, vel confessionis, probabiliter est manere reservatum. Ut si scias te graviter peccasse cum Confessario, dubitas vero an in loco sacro, vel an illud alteri confessus fueris; reservatum est non solum peccatum, sed etiam illa species loci sacri.

356. Inq. 6. Quid agendum Confessario aspicienti complicem venereum ad suum confessionale accedere? R. Quod si Confessarius ibi sedens agnoscat inter alios accedere dictum complicem, simulans negotium surgat. Si hoc absque nota nequeat, dicat illi se non posse ejus confessionem audire; & paulo post orans super eum dimittat. Si vero in confessionis progressu noscat, nequit ultra audiendo progredi, est enim privatus etiam audire ejus confessionem. Si denique illum non agnoscat, rite alias dispositum absolvat de peccatis, tum complicitatis, tum alii, dicunt aliqui, quod absolutio erit valida, manebuntque peccata venerea indirecte, alia vero directe remissa. Hoc assertum nec fundamentum, nec difficultate vacat. Si enim absolutio est valida, cur erit indirecta? Ego quippe sentio Confessarium complicem esse privatum absolvendi aequae indirecte, ac directe, si ergo ob bonam fidem valida est absolutio, erit utique directa. Non enim reservantur dicta peccata superioribus, alias possent absolvi saltem virtute magni Jubilaei, quod est falsum: igitur non teneri paritas peccati reservati, & indirecte bona fide absoluti, & remissi. Ergo vel absolutio est nulla, vel collata bona fide est directa.

357. Inq. 6. An absolutio complici data bona fide sit valida? R. negat. Quia bona fides, ignorantia, aut oblivio possunt excusare a culpa, sed non dant actu valorem. Idcirco actus contra legem irritantem positus semper est invalidus, licet aliquando ex ignorantia, aut bona fide sit licitus. Unde si Confessarius peccat cum foemina sibi ignota, sive nocte in diversorio, sive in itinere, & illa subinde ignorans Confessarium fuisse suum complicem, eidem confiteatur, absolutio est invalida, quia est actus positus contra legem irritantem: nec error particularis tribuit jurisdictionem. Sic sunt resolvendi alii casus, qui occurrere, aut fingi possunt, & ratione materiae consulto omittuntur.

358. Inq. 7. An absolutio collata complici in casu necessitatis ad vitandam notam, aut infamiam sit valida? R. neg. Quia est data a Sacerdote privato jurisdictione, & approbatione. Et sicut absolutio data a Sacerdote simplici extra articulum mortis est nulla, ita in praesenti. Nec admit-

tenda est absolutio indirecta: tum quia nequit dari a Sacerdote simplici, tum quia ex ea possunt timeri pericula porrigendi lapidem pro pane, aut venenum pro medicina, & alia, quae vitare intendunt Bullae pontificiae, tum denique quia tota ratio prohibitionis est, ne confessio fiat cum complice: ergo si datur causa id faciendi, deficit prohibitio, & absolutio erit directa: haec autem a nullo admittitur; ergo nec indirecta debet admitti.

359. Inq. 8. Quis possit absolvere Confessarium a censura incursa ob absolutionem scienter complici venereo collatam? R. Posse in primis summum Pontificem, cui omnis censura subiecta est. Potest etiam, si crimen est occultum, Episcopus ex cap. *Licet Episcopis*: suos subditos absolvere. Similiter Praelati regulares subditos proprios ex eorum privilegiis. Pariter valet absolvi virtute Bullae cruciatuae. Quando enim institutio pontificia ait: *nullum posse absolvere etiam virtute Bullae cruciatuae*, loquitur de complice venereo, qui nullo privilegio queit scienter absolvi, non de censura ob sacrilegam absolutionem a Confessario incursam. Denique potest absolvi a quolibet Sacerdote in articulo mortis, sicut de caeteris censuris Pontifici reservatis. Nota, quod non incurrat censuram Sacerdos, si non absolvat complicem, esto audiatur ejus confessioem, ut ex Bulla *Inter praeteritos*, ait se retractans Ligorius lib. 6. pag. 215.

De absolutione complices in articulo mortis. Inq. 1. An absolutio complices venerei in articulo mortis sit valida? R. affirm. Quia ut ex secunda Bulla moderativa, & declarativa prioris habetur, non tollitur jurisdictione Confessario complici pro articulo mortis. Igitur sive alius Sacerdos absit, sive adsit, absolutio Confessarii complices data in articulo mortis semper est valida, supposita dispositione poenitentis.

361. Inq. 2. Quando dicta absolutio erit etiam licita? R. Esse *Primo* licitam, quando nullus alius Sacerdos praeter Confessarium complicem adest eo tempore in loco,



vel oppido penitentis. *Secundo*, quando alius, vel alii Sacerdotes nolunt, etiam vocati, & rogati, audire ejus confessionem. Tunc enim tantum valent, ac si absenti. *Tertio*, Quando infirmitas, aut necessitas ita urget, ut alius vocari non possit, esto sit in oppido. *Quarto*, Quando certo datur periculum infamiae, aut scandalum ex eo, quod Confessarius complex non absolvat penitentem in dicto articulo mortis. At quis Iudex hujus periculi? Quis regulam certam pro circumstantiis adeo variis, & contingentibus assignare valebit? Certum est teneri Confessarium *hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel renovare, opportunis adhibitis mediis, ut alteri curvis Sacerdoti locus pateat illius confessionis absque ullius infamia, vel scandalo audiendae.* Alias absolutio erit illicita, & Confessarius incurrit excommunicationem majorem Pontifici reservatam. Timeo, ne haec censura suos labores, suave dubia non semel patiat. Sed pro aliqua claritate.

362. Inq. 3. Quae media adhibere Confessarius complex debeat, ne censuram incurrat? R. 1. Hoc ejus prudenti arbitrio, & conscientiae esse relinquendum. Si enim coram Deo fecit, quod debuit, absolutio erit licita, & censuram non incurret. E contra illicita erit absolutio, censuramque incurret, si graviter negligat adhibere opportuna media. Sed hoc opus, hic labor: quanam sunt haec media? Dico igitur, quod Parochus verb. grat. habita notitia gravis infirmitatis penitentis, si moram patitur, arripit iter proportionatum excusationi, monendo alium Sacerdotem, ut si opus fuerit, suas vices suppleat. Si autem ex inopinato vocetur ad confessionem talis penitentis, aliqua congruente excusatione exhibita: respondeat se non posse pro tunc accedere: in oppido esse Sacerdotem, qui pro nunc valeat sacramentum penitentiae ministrare. Si vero hoc non sufficiat, accedat ad aegroti domum, suadeatque, ut cum ipso nolit confiteri, quia non valet eum absolvere ex nova dispositione Pontificis, ac proinde alium vocet, eique confiteatur dicendo domesticis non se reperiri pro tunc in dispositione confitendi, vel post discessum Parochi vocet alium pro suo solatio. Haec, aut similia reputantur opportuna, & sufficientia media.

363. Sed quid, si penitens etiam suasus, quod alteri confiteatur, non acquiescat? Si hoc decidendum esset ex his, quae in Bulla *Pastoralis curae* habentur, dicendum foret quod supposita, reluctantia penitentis alteri confitendi, posset complex eum absolvere. Ibi enim monialis reluctanti confiteri Confessario designato alter plusquam semel conceditur; ita ut esto antea non esset approbatus, pro illo casu sit approbatus. Tamen quia in praesenti severius agitur, & alia motiva concurrunt, non ita decernitur. Dicendum ideo videtur non posse absolvi dictum penitentem reluctantem alteri confiteri, quia renuit subici Pontificiae dispositioni. Verum si adesset alia causa extrinseca magnae reluctantiae praesertim in foemina, quarum fragilitas, & animi imbecillitas majori commiseratione est sublevanda, arbitror posse absolvi, suppositis aliis requisitis.

364. Inq. 4. Quis intelligatur Sacerdos in illa clausula: *qui munus Confessarii obire possit*? Aliqui putant intelligi quemlibet Sacerdotem, esto scientia, & prudentia non praeditum; eo modo, quo in articulo mortis ex dispositione Tridentini quilibet Sacerdos sufficit in alterius defectum ad absolvendum. Sed haec intelligentia nimis delicata est: alias Sacerdos haereticus, vitandus, aut etiam degradatus Confessario complicitate praefereendus esset, quod minime est presumendum. Ideo dicta clausula non materialiter, sed moraliter, & prudenter est intelligenda. Si enim adesset Sacerdos adeo simplex, ut vix sciret proferre formam absolutionis, ut aliquando se reperisse testatur eximius doctor; aut fere penitus ignoraret disponere, & instruere penitentem pro suscipienda absolutione, ut accidit multis praesertim musicis, qui plus numero sonoro, quam Theologiae vacant; hi inquam, & similes sunt, quasi non essent, quia inepte munus Confessarii obire possunt. Nam de istis potest quodammodo dici: *Ne tradas bestiis animas confitentis tibi.* Itaque in dicta clausula intelligitur Sacerdos, esto non approbatus, tamen aliquantum instructus, prudens, & cordatus, aut discretus in communi opinione, ita ut sciat praeparare, & disponere penitentem pro confessione rite faciendae, maxime pro ultima suae vitae.

365. Inq. 5. An idem sit articulus, ac periculum mortis? R. Quod licet idem sit, communiter; tamen quia aequaliter differunt in eo, quod periculum regulariter non adeo urget sicut articulus; ideo quoad praesens arguet inspicienda est haec distinctio, ita ut supra dicta media congruenter apponi curentur. Praesertim praeveniatur monitio, si possit, ne Confessarius complex a penitente quaeratur, aut evocetur.

periculum mortis? R. Quod licet idem sit, communiter; tamen quia aequaliter differunt in eo, quod periculum regulariter non adeo urget sicut articulus; ideo quoad praesens arguet inspicienda est haec distinctio, ita ut supra dicta media congruenter apponi curentur. Praesertim praeveniatur monitio, si possit, ne Confessarius complex a penitente quaeratur, aut evocetur.

## CAPUT IV.

## De casum reservatione.

Quamvis ex dictis, & ex dicendis in aliis tractatibus plura circa casuum reservationem pateant; in praesenti vero, tamquam in proprio loco aliqua, velut principia generalia praelibare oportet.

## PUNCTUM I.

## Definitio, &amp; divisio reservationis.

366. Inq. 1. Quid sit reservatio? R. Est *substractio, seu limitatio jurisdictionis circa aliquod peccatum, vel censuram, vel circa votum, aut juramentum.* Dari potestatem in Ecclesia reservandi peccata est de fide definitum contra haereticos a Trident. *Sess. 14. can. XI.* Ratio etiam idem suadet: quia omnis jurisdictionis inferiorum subordinata est potestati Superiorum: ergo possunt hi limitare eam pro quibusdam culpis atrocioribus, ut fideles difficultate absolutionis ab earum commissione absterneant. Nota casum reservatum differre a censura reservata in eo, quod in primo immediate reservatur peccatum; in secundo vero quasi mediate, hoc est ratione censurae, ut statim dicemus.

367. Inq. 2. Quotuplex sit reservatio? R. Est triplex; nempe *papalis, synodalis, & regularis.* *Papalis* est, quae a summo Pontifice provenit. *Synodalis*, quae a synodo, vel Episcopo peculiariter profluit. *Regularis* autem, quae a Praelatis regularibus oritur. Unde dantur casus, & censurae papales, synodales, & regulares. Censurae autem papales, de quibus tradit 36. n. 117. ferre innumere reperitur. Casus, & censurae Episcopis reservati sunt in triplici differentia. Alii enim reservantur ipsi communi, nec cessant eorum morte, aut

mutatione, nec tolli valent nisi a Papa. Alii in synodo, qui revocari possunt ab ipsius; non tamen solent nisi ab alia synodo, seu concilio provinciali. Alii quos ipsi sibi peculiariter reservant extra synodum, & durant pro eorum placito, cessantque regulariter ipsorum morte, aut mutatione; nisi ex consensu capituli illos reservent. Casus regulares sunt etiam in duplici differentia. Alii reservati in capitulo generali, vel provinciali, qui usque ad aliud capitulum respective durant. Alii quos Generales, aut Provinciales possunt sibi reservare, qui sunt undecim infra recensendi.

368. Inq. 3. An committens peccatum reservatum papalem verb. grat. haereticus, cui annexa est censura, incurrat casum reservationem, censura ob aliquam causam non incurta? R. neg. Quia esto aliqui oppositum adstruant, mihi tamen majoris ponderis est auctoritas Ben. XIV. qui conceptis verbis ait haereticum mere internam non esse reservatum, posseque absolvi a quolibet Confessario hac ratione: *absolutio quippe ab haereticis est summo Pontifici reservata solum ratione censurae eidem haereticis annexae.* Unde aperte habemus ex mente sapientissimi Pontificis casus papales esse reservatos ratione censurae; ita ut licet casus sint reservati simul cum censura, hac tamen non incurta, reservati illi non maneant. Unde pariter incurta reservatione casus, & censura hac absoluta, jam casus non manet reservatus. Igitur idem est dicere casus papales esse reservatos ratione censurae, episcopales vero ratione gravitatis, ac dicere istos incurri etiam absque censura; illos non incurri sine censura; vel solum incurri ratione censurae, ut laudatus Pontifex inquit in *sinod. lib. 9. cap. 4. num. 4.*

369. Inq. 4. An ignorantia reservationis excuset ab ejus incurusione? R. Quod licet censura non incurtantur cum eam in ignorantia, quia tunc non adest contumacia; casus tamen reservati Episcopis incuruntur esto eorum reservatio ignoretur. Idem est de unico casu papali sine censura. Quia cum reservatio sit substractio jurisdictionis a Confessario inferiori, ignorantia penitentis nequit illam ei tribuere. Reservatio enim peccati absoluta est, non dependens a conditione notitiae, vel ignorantiae penitentis. Sufficit igitur; quod